

DISSE^TRATI^O
DE 1745, 9 H
MENTE ET RATIONE 14
LEGIS MOSAICA^E
VSVRAM PROHIBENTIS

QVAM
CONCEDENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA
M. IOANNES DAVID
MICHAELIS,

ORDINIS PHILOS. ADIVNCTVS DESIGN.
PRO LICENTIA DOCENDI
OBTINENDA

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
HORIS CONSVENTIS
DIE XXX. OCT. C^I9DCCXLV.
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIET.

GOTTINGAE
TYPIS IOANN. FRIDER. HAGERI.

DISSEMINATIO

MEINE ETATATION
PERGAMMOSAICAE
VARIA PRACTICAE

NAVA
COPERTINAE
ALLEGRA THEROTONIA / OUTINE

MONSIS CEREA MATER
IOANNES DAVID

MICHAELIS

PRO HENRIA BOGENI
OUTAVERA

IN VITRIBUS THEROTONIS
HOMO DILEXIT

THEATRUM THEROTONIS
FABRICIO DE LUXEMBOURGO

CONSTITUTIO
REGULI MONACHORUM

CONSTITUTIO
REGULI MONACHORUM

VIRO ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

GERLACHO ADOLPHO

LIB. BARONI

DE MVNCHHAVSEN,

DYNASTAE STRAVSFVRKI,

AVGVSTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE REGIS

IN TERRIS BRVNSVICENSIBVS ET LVNEBVRGEN-

SIBVS

MINISTRO STATVS ET CONSILIARIO

INTIMO;

MAGNO PRAEFECTO DVCATVS CELLENSIS,

ATQVE AD COMITIA IMPERATORI CREANDO

NVPER HABITA

SECUNDVM

LEGATO PRIMARIO, &c. &c.

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO,

EXILES PRIMITIAS
LABORVM GOETTINGENSIVM
PIA MENTE ATQUE EO SVBIECTISSIMI ANIMI
ADFFECTV,
QVEM IPSA PARIT COGITATIO
HEROIS TOGATI,
STATORIS PACIS MEDIAS INTER
BELLI TVRBAS,
CVI CVRAE VNA CVM RELIQVO SANCTIORE SENA-
TV DIES ATQUE NOCTES IMPENDIT,
DELICIA RVM ELECTORATVS
BRVNNSVICENSIS,
ADMIRATIONIS ET AMORIS
GERMANIAE,
QVAE OPTATVM DIV ET SPERATVM
PRINCIPEM,
EIVS VOCI
CONSILIORVM REGIS OPTIMI INTERNVNTIAE
GRATO PECTORE DEBET,
ORACVLI,
CVIVS RESPONSIS SAPIENTISSIMVS REGVM,
IPSE SENATVS SVI ORACVLVM,
IPSE CONSILII NVNQVAM INOPS,
VITTVR.
SVMMI MVSARVM PRAESIDII,
QVAE EIVS BENEVOLENIA ET CVRA SINGVLARI FRETAE
FLORENT VIGENTQVE,
OFFERRE AVDET

AVCTOR.



§. I.



eges, quibus sapientissimum numen ciuitatem israeliticam interprete & administratore Moze instruxit, a iure & legibus nostrarum rerum publicarum maximis haud raro interuallis seiuetas esse, satis liquet. Quae tamen diuersitas nec nostris nec Mosaicis legibus viatio verti iure potest. Suis suae leges esse debent rebus publicis: quarum siue situs, terraeque innata indeoles, (1.) siue ingenia ciuium, siue prisca ciuitatis forma, nouarum rerum desiderio non temere mutanda, diuersam legum atque iuris faciem inducunt. Eadem ratio reip. Israëliticae, cui commodaer erant, quae aliis

(1.) Vide Perillustris I. H. BOEHMERI dissertationem de iuribus diuersis e diuersitate climatum natis.

A

aliis ciuitatibus detimento esse poterant leges: adcufandusque fuisset Moses, si legislatoris munere diuino fungens iussu neglecta reip. Israelicitae indole iura condidisset nostris ciuitatibus, ab illa diuersissimis, apta, suo populo suaeque Palaestina inepta. (2.)

§. II.

(2.) Vel hoc telo ingulantur, si qui nostris rebus publicis, quamvis forma, situ, iugenoque ciuium ab Israelicita toto caelo distantibus, leges ciuiles a Mose latas imprudentibus votis aptari iubent: Palaestinam in Germaniam, Asiam in Europam translaturi. Exemplo rem illustremus. Non omnino obmutuerunt censoriae voces, quibus ultimum supplicium, quo fures adficiuntur, crudele nimis & barbarum, atque ex christiana proscribendum videtur societate, quia ministorem Moses furibus poenam statuerit. At Mosaicae de surto sanctiones aliam prorsus quam quae in his viget teraris requirunt rempublicam. Restitu iubet erexit, multamque addi, Moles. Hoc illi dictum reipublicae, in qua probabile est, vel iplos fures non prorsus ad incitas redactos esse: dictum Israelitis, quorum quisque autem tenere agellum solebat, ex cuius fructibus restitutio peti posset. Inepta lex his coercendis furibus, a quibus, cum nihil habeant, nihil repeti potest. Furem fine re, fine pecunia, vendi iubet Moses: quod ad illam modo pertinere potest ciuitatem, in qua vendi homines solent, non ad has quarum manuetudo seruitutem adsperrnatur. Bonae ergo fuerint leges Mosis, de furto in Palaestina, ingens illarum nonnullis in terris sit utilitas, (de qua perquam commode differit eques CHARDIN in itineris in Persiam suscepti diario, *Voyages en Perse Tomi. IV. pag. 286. 287.*) illis tamen Germaniae nostrae partibus, in quibus omnes liberi sunt, non quadrant. Non iam dicimus, incautas has & censorias voces Pauli epistolis contradicere: qui

§. II.

Fieri tamen potest, vt incauto aut rerum priscarum imperito lectori codicis Mosaici, leges summa sapientia latae, rebusque Israëlitarum utilissimae, vix dignae diuini legislatoris sapientia videantur. Quarum vt honori consulamus, demonstranda est vera causa, ex reip. Israëliticae quasi aedificio eiusque forma & vera indole petenda. Hac perspecta, leges Mosis earumque mentem & prudentiam intelligimus: tantum legislatoris incredibilem sapientiam, beatique his iuribus populi felicitatem miraturi. Hanc caussam legum, quae paradoxi quid & inexspectati habent, si didicerimus, tum vero optime nobis constabit, nec leges Mosaicas vniuersas nostris ciuitatibus obtrudendas, nec has vel illas, de quibus dubitari forte potuissest, in legum moralium, quae totum genus humanaum obstringunt, numero habendas esse.

A 2

§. III.

qui *legem*, seu *legem Mosaicam*, (i. e. *legem Moysi propriam*, nec ex iure naturae pendentem, atque a Christo, cuiusque discipulis repetitam atque confirmatam) abrogatam esse testatur: communis etiam nostrae ecclesiae suffragio, Paullina auctoritate comprobato, damnari. Theologis enim hac explicanda reliquimus. Iure tamen mireris in hac ipsa ecclesia, quae leges Mosaicas ecclesiasticas & ciuiiles mortuas & sepultas indicat, nunquam fere deesse, qui quamvis receptae & verae sententiae de abrogata lege Mosaica subscriptibant, ita tamen agunt, ita de nostris conqueruntur iuribus, ac si in Mosaico viueremus regno.

§. III.

Cum ergo inter leges Mosaicas nobis paradoxas non ultimum locum illa occupet, quae *sive pecuniam sive aliud quidvis ab Israëlitis pro usura mutuo Israëlitis dari* vetat: non inutile erit veram huius legis causam inuestigare. Quibus nostris conatibus si successus, & fauor eruditorum iudicium non omnino defuerit: alias forte Israëlitarum leges simili ratione olim explicare adgrediemur.

§. IV.

Ad *Paradoxas*, nec exspectatas leges hanc Mosaicam referendam, quae usuras vetat, facile equidem vicerimus. Rem prohibet sua sponte non nefariam, sed iure naturali, cuius cum morali diuino concurrunt praecepta, permisssam. Quid enim vitii habet, si tuam pecuniam mutuam aliis dederis, qui ex illa commodum & lucrum captant, exigere, ut partem lucri ex tua pecunia capti tibi concedant? Commodas illis pecuniam, ut agrum emant, ex quo praeter mercedes operarum quadraginta Ioachimicas singulis annis percipiunt: aequum erit, ut lucrum, supra mercedes operarum redundans, adeoque ex tua pecunia, non ex labore emtoris proueniens, ad te pertineat. Quod & magis aequum iustumque videbitur, si ea sit reip. in qua virtus forma & conditio, ut caput pecuniae creditae amitti possit, debitorumque aliqui non sint soluendo. Nec enim gratis ac sine ullo tuo

tuo emolumento periculum in commodanda aliis pecunia subire te iubebunt iusto non rigidiiores leges. (3.)

§. V.

Mirum videri possit sapientissimum Israëliticae gentis legislatorem, rem sua sponte, & ex iure naturae licitam, lege ciuili prohibuisse. Quamuis enim possit legislator arctioribus libertatem ciuium, quam ius naturae facit, finibus coercere: grauis tamen cauſa esse debet, qua inductus, quae natura licent, in republica non licere edicit. Sed magis idem mirum videbitur, si ex nostrarum forma rerum publicarum iudicantibus non solum cauſa nulla

A 3

pro-

(3.) Animus nobis non est, priscum bellum repetere inter Batavos eruditos superiore seculo de vſura & foenore trapezitico ortum: quod nimis notum etiam lectoribus suspicamus, quam, vt opus sit, verbum de illo addere. Miramur tamen, fuisse, qui vſuram teterrimo carbone notarent, cum alia probarent lucri genera ex pecunia aliis data percepta, si vſuram damnas etiam damnanda. Si Titio opus sit pecunia, praedium possidenti, vendatque tibi praedium; ex fructibus quidem praedii usuram datae illi pecuniae percipies; nihil tamen periculi amittendae pecuniae subiturus. Nummos enim volubiles cum flabili & perpetua tibi tuisque possessione eiusdem pretii permutasfi. Nec tamen pecuniam pro praedio vendendo numeratam petenti, in vitio posuerit nisi aspererrimus index. Sed satis est. Nimis ex via digressi videtur, si acquitatem vſurae vindicaremus: de qua siue GROTIUS de iure belli & pacis lib. II. cap. XII. §. 20. confundendus erit lectoribus, siue illiusfris WOLFFIUS in iure naturae Tom.

IV. §. 1400. seqq.

probabilis huius legis occurrat, sed & simile interdictum quid detrimenti nostris ciuitatibus adlatum sit, intelligatur. Lautioris conditionis homines saepe non in praediis sed nummis diuitias habent: quibus si usuram adimas, annuos etiam redditus ademeris, ut absunta tandem sorte ad incitas redigantur. Graue incommodum: pupillis vero, qui vietum quaerere labore & industria per actatis rationes nondum possunt, in primis perniciosum. Insigni ergo hos iniuria adfeceris, si Mosaicum ad nostras transtuleris ciuitates edictum: insigni ipsam rempublicam damno, quam lautissimae conditionis homines, diuitiisque instructissimi, ob acerbitem legis relicturi vindentur. Nec tamen his qui mutuam sumunt pecuniam, quibus magnopere fauere lex videtur, hac ipsa lege apud nos prospicuum foret. Rari enim diuites, metu damni ipsos reuocante, nulla spe lucri proposita, argentum suum aliorum usuribus commodaturi. Quos si misericordiae telo vrgere velis; pauperibus forte succureres, quibus quae mutuo dantur, donata videri possunt. Nulla tamen misericordia diuites coget, vt aliis, quibus non ad vietum tolerandum, sed mercaturam aut opificia exercenda nummis opus est, non sine iacturae metu succurrant. Iacebunt ergo commercia: extinguetur anima & vita ciuitatibus! Pone tandem, esse, qui amicis mercaturaे operam dantibus pecunia mutua succurrant: vereor tamen, ne levissima periculi suspitione mutuum reposcant, si nulla ipsorum utilitas in pecuniis collocatis versetur.

§. VI.

§. VI.

Non indignum ergo industria & cura nostra argumentum: *qua ratione ductus Mōsēs, inspiratus ille ac diuinus legislator, usuram inter Israēlitas lege civili prohibuerit?* Quam si nobis licuerit rite inuestigare, & sapientiam tanti illustrabimus pro tenui nostra parte legislatoris, & illorum occurremus errori, quibus usurae interdictum ad leges morales, non rem publicam Israēliticam sed genus humanum obstringentes, referendum videtur. Priusquam tamen ad rationem legis exquirendam accedamus, veram eius mentem explicemus necesse est.

§. VII.

Quam, vnde certiorem & limpidiorem hauriemus, quam ex ipso fonte? ex ipso codice Mosaico? Non fugiunt nos & Thalmudicorum & recentiorum Rabbinorum sententiae. Collegit illas singulare industria JOANNES SELDENVS in *iure naturae & gentium iuxta Ebreaorum disciplinam lib. VI. c. 9.* ita tamen collegit, ut aliis, quae non sordida manu addere possint, reliquerit. Nec tamen hi Thalmudicorum rivuli omnino puri, & ex *Mosaicis* fontibus deriuati. Fouent vel de hac lege sententias, quas ipsius *Mōsis* esse vel neges iure vel ambigas. Ex quo genere sunt: *non modo illum peccare, qui accipiat usuram, sed & qui pendat:* (4.) *nec usuram modo ipsam in vitio effe,*

(4.) Argumentum rei ex eo petunt, quod in prohibendis usuris Moses verbo יְנַחֵן in vtraque coniugatione, *Kal & H̄pbil* vtatur:

esse, sed puluerem quoque, quem vocant, foenoris; quo nomine omnia munuscula creditori quamuis sponte data circumscribunt, quin & honoris significationem post acceptam pecuniam adcuratius quam antea factam, ut si quis e. g. creditorem officiosius quam consueverat salutet. Vide SELDENI librum laudatum pag. 725. sqq. (Ed. Frf. 1695.) Ergo non spreta quidem aut neglecta luce, si qua ex Thalmudicis pandentis, aut commentariis magistrorum adfundti poterit, ex Mose potissimum sapiamus; nostrisque, quid ille iubeat, oculis credamus.

§. VIII.

Fontes ergo iuris Israelitici circa usuras hi fere erunt:

vtatur: in *Kal* קַל, ne usuram accipias, & in *Hiphil* הִפְלִיל, quod vertunt, ne committas, ut alter usuram accipiat, i. e. ne der usuram. Nec tamen omnium haec sententia Iudeorum, quod forte ex SELDENO incautus lector colligere posset. Proutocamus ad ABENEZRAM, acutioris ingenii, & qui sibi iudicare permisit, Iudeum, qui ad Deuter. XXIII, 19. יְשַׁבֵּח בֵּין תְּשִׁיר וְהַתְּעַטָּם שֵׁלָא תְּקַבֵּל מאריך שויין לך מרבית גם הוא עובר על מצות רביות והנה המלה יוצאת לשניים פועלים ווביים אמרו כי תשיר כמו תשך אן הפרש ביןיהם וכמוון פועלם רביהם במקרא i. e. Et discernit inter השיר atque התשיר. Et sensus est: ne accipias a fratre tuo, ut det tibi usuram; etiam ille enim migrat praecptum de usura. (si nempe tibi usuram dederit.) Et ecco verbum hoc habet duo obiecta. (i. e. dupliciter transfiguum est, pro more conjugationis Hiphil.) Multi tamen dicunt, התשיר ו samech vnum idemque esse, sine discriminione: suntque multa huic indolis verba in codice sacro.

erunt: (5.) Exod. XXII, 24. cum argentum mutuum dederis populo seu cui meo, egeno apud te, nescis illi ut exactor: ne imponite ei usuram. Leuit. XXV, 35-37. cum egenus factus fuerit frater tuus, & nutauerit manus eius apud te: tum adprehende illum, (auxilio ei esto) ut, siue peregrinus siue adcola apud te viuat. Ne accipias ab illo foenus & usuram; timeto potius a Deo tuo: & viuat frater tuus apud te. Argentum tuum non dabis illi pro foenore: nec cibum tuum pro usuram. Deuteron. XXIII, 20. 21. Ne usuram petas a fratre tuo, nec argenti, nec cibi, nec villius rei, quae usuram pendit. A peregrino petes usuram: sed a fratre tuo usuram non petes.

§. IX.

Primum, quod haec commata efficiunt, erit: non atrociam modo usurarum sortem superantium, sed ipsas usuras prohiberi, quamuis mediocres & in nostra civitate licitas. Cum enim Deus Deuteron. XXIII, 21. permittat, a peregrinis usuras petere: vix dubitari potest, quin usurae nomine etiam leue & aequum foenus intelligatur. Abludit enim a iustissimi numeris

(5.) Addunt his praecepsit Thalmudici Leuit. XIX, 4. ante eocum ne ponas offendiculum, qua lege allegorice explicata prohiberi existimant, egeno & misero petitis ab illo viuris cumulum addere miseriarum, & efficere, ut prorsus res eius corruant atque frangantur. Cum tamen valida ratio non adsit, quae iubeat plano & proprio huius legis sensu metaphoricum praeferre: placet nobis illis ex fontibus haurire, qui nihil sibi turbidi ac dubii admixtum habent.

B

nis aequitate, expressa lege nimii & acerbi foenoris in alienos exercendi licentiam populo suo permittere: nec vero eam deceret prudentiam, qua ciuitas regitur. Quaecunque enim resp. clarissimis verbis immensi foenoris exactionem a peregrinis concedit civibus suis; terret peregrinos & reuocat, ne ex tam dura ciuitate mutuum petant. Atqui hanc ipsam vsuram, quae a peregrinis permittente Mose peti potest, ab Israelitis sumere illicitum, ex commate 20. (6.)

§. X.

Liquet etiam, duplicitis generis vsura Israelitis interdictum fuisse, quam ipse Moses nominum diversitate distinguit: **רשות** & **תירח**. Quae vocabula ita diuisum inter se habent omne vsurarium regnum, ut illud vsuram pecuniariam significet, quae pro pecunia accepta soluitur; hoc, foenus reale, quod pro rebus mutuatis, e. g. frumento, musto & oleo penditur. Disces illorum proprias significationes ex Leuit. XXV, 37. *Non dabis illi argentum tuum pro foenore, (רשות) nec cibum tuum pro vsura: (תירח.)* Mitius non men

(6.) Quousque progredi consuerit huic pracepto inimica nec profus in republica Iudeorum sepulta vsuraria prauitas, non nobis constat. *Nehemias* quidem cap. V, 1. centefimas argenti, frumenti, musti & olei commemorat: sed incertum, quales fuerint centefimae, vtrum mites, quae quotannis penduntur, an cruentas illae, quae singulis soluendae menibus erant, de quarum apud Romanos viii HEINECCIVS consulendus in *Syntagmate antiquitatum Rom. lib. III. tit. XV.*

§. 19.

men vsurae impositum frumentariae, (7.) **הַרְבִּית** di-
ctae a verbo **רָבַת**, *multus fuit*, vel, *crevit*, ut multi-
plicationem modo *fortis*, qua debitum crescit, indica-
re videatur. Pecuniarium vero foenus atrociore vo-
cabulo notatur, a *mordendo* (**נַשֵּׁךְ**) derinato, quod
quasi mordeat debitores, sanguinis ipsorum cupi-
dum. (8.)

B 2

§. XI.

(7.) Plus etiam aequitatis hoc genus vsurae habere videtur, quam illa pecuniaria. Saepe intra anni tempus pretia rerum mirifice augentur aut minuantur, vnde fieri potest, ut frumen-
tum cum collocetur longe maioris sit, quam cum recipitur.
Quod si accidat, creditoris in commodando benignitas infi-
gne ipsi detrimentum parit, vsuram compensandum. Quae
causa fuit, vt & Romanas leges maiorem vsuram frumenta-
riam quam pecuniariam permetterent: *Nouell.* XXXII, 1.
XXXIV, 1. *HEINR. C. Synt.* ant. *Rom.* lib. & cap. cit.
§. 17. Leges vero Mosaike ipsam vsuram frumentariam pro-
hibebant: ex quo tamen interdicto ne, crescente republica
Israelitica, & ciuium multitudine charitatem rerum inuehen-
te, aliquid iniqui exisferet, legibus cautum videtur. Thal-
midicis saltene varia pracepta dederunt, de restituendo debito
frumentario, vbi frumentum tempore collocationis pluris fue-
rit, quam cum recipitur.

(8.) Alperitatem significationis intelligunt, ac forte augent, Iu-
daci. Sic *Baal Hatturim* ad Deuter. XXIII, 19. **הַרְבִּית רֹמֶחֶת**
שְׁנַבְּרִי נָחַשׁ שְׁעִילָה מעשׂ ואינו כוֹאֵשׁ בּוֹ עַד שִׁיעַלָה
i. e. *Vsura similis est*, ac si quem *mordeat serpens*, quae (*vsura*) paullatim *adscendit*, cum
ipse non sentiat, usque dum *adscendar ad Mammoneum* (seu
omnes opes eius) *sicut morbus serpentis*. Similia his habet
RASCHI ad Exod. XXII, 24. i. e. *vsura*, *quae est si-
cut*

§. XI.

Nec tamen omnem omnino usuram proscribebat legis Mosaicae rigor, sed illam tantum, quae ab Israe-litis soluenda erat, permisso in exterros foerationis iure. Vnde Moses illum, quem usuris emungere non liceat, iam *populum Dei*, iam fratrem tuum adpellat: nihilque illo edicto clarius: (9.) ne usuram petas a

FRA-

*cut morsus serpentis, qui primum excitat exiguum in pedibus tumorem, nec sentit admorsus, & statim inflatur & intum-
scit usque ad verticem. Sic est usura: non intelligit homines,
usque dum ascendet, & priuet illum opibus multis.*

(9.) Nihil clarius, inquam, modo **רַשָׁן** in Hiphil exponas, usuram exercere, non, usuram pendere, ut aliqui Iudeorum: §. VII. n. 4. Nec quidem coniugatio Hiphilica efficit, ut **רַשָׁן** sit, usuram pendere. **רַשָׁן** significat in Kal. *mordere*, deinde, *mordere aliquem usuris*, i. e. *usuras accipere*. In Hiphil **רַשָׁן** foret: *facere ut mordeat*: vel: *facere ut mordeatur*, admorsum aliquem facere. Vide Grammaticam nostram Hebr. §. LXXXV. Quod, ad usuras translatum, erit: *facere ut mordeatur debitor*, i. e. *usuram exigere*. Nec vero illi Iudaicae explicationi, de usuris ne pendendis quidem, fauent, quae interdictum statim sequuntur: *propterea*, ut benedicat *zibi Deus in omni emissione manus tuae, in terra, in quam venturus es ad occupandum illam*. Cuins generis promissio-nes & stimuli magis decent legem benignitatem erga alios praecipientem, quam quae iubet iniuste petitas usuras negare, illatasque iniurias propulsare. Illi, non huic opus erat. benedictionis promissione. Accedit, quod nimis rigidum esset, usuras datas lege civili etiam dantibus vitio vertere: in primis ubi acceptarum usurarum poena nulla constituta est, nec cogi creditores lege possunt, ut potentibus mutua pecunia succurrant.

FRATRE TVO, -- A PEREGRINO (כִּי) petes
vſuram: sed a FRATRE TVO vſuram non petes.
Deuteron. XXIII, 20. Nec, ergo omnino annui ex
pecunia redditus Ifraelitis eripiebantur, argentumque
illorum reddebat effoetum: licebat illud Tyri col-
locare, vrbe finitima, & per terrarum orbem com-
mercia exercente, cuius ciuib⁹ mutuis mercibus &
pecunia opus erat. Hinc fructus annui: & foenus, si
vellent, nauticum. Ifraelitis lex fauebat, quibus sine
vſura mutuum dandum erat.

De peregrinis, qui ortu quamvis exteri in Palae-
stina tamen sedem fixerant, dubitari possit, an ab illis
vſuras accipere licuerit? quippe quibus cautum sit le-
ge Mosaica, Leuit. XXV, 35. cum egenus factus fue-
rit frater tuus, -- tum adprehende illum, vt, siue P E-
REGRINVS siue ADCOLA apud te viuat. Ne acci-
pias ab illo foenus & vſuram. Nec defuerunt Iudeo-
rum doctores, quorum lata fatis ac mitissima huius
commatis explicatio homines etiam origine exteros
eiusdem beneueliae legis amplitudine complectetur.
(10.) Cum tamen Mosi frater vix aliis nisi Ifraelita
esse soleat, vero propius est, solis Ifraelitis legem con-

B 3

fule-

(10.) Huc referendus RASCHIVS, qui ad vocabula גַּר וְתַשְׁבֵּ בָּשָׂר explicationis causa scribit: i. e. si vel peregrinus & adcola fuerit. Quis autem est תְּוַשְׁבֵּ? Omnis, qui fuscipit in se, vt idola ne colat, nec cadaver comedat. Clarius quae sentiebat expressit ABARANEL, cui גַּר hoc loco est, מאומה שְׁמַנְגַּיְר מְאֻמָּה, qui ex alia gente sit, proflytum sc fecit, תְּוַשְׁבֵּ בָּשָׂר, qui fuscipit in se vero, שְׁקַבֵּל עַצְמָוֹת בְּנֵי נֹחַ, qui fuscipit in se obseruanda septem praecepta filiorum Noachi. Nec tamen o-

mniuum

fulere, atque per נס & בְּשָׂרֵב non exteris intelligi, sed Israelitas, qui relictis penatibus, ac vendito usque in annum Jubilaeum agello, in aliis tribubus commorabantur.

§. XII.

Nec tamen videtur omnis usurpa ab Israelitis accepta in vitio fuisse, sed illa modo quae ab egenis petebatur, permissa versura & foenore, si lautoris conditionis Israelitae mercaturae aut alia quaunque de causa pecunias mutuas sumerent. Quod quamvis non omnes, multos tamen habere videbitur numeros veritatis, modo leges Mosaicas adcuratius inspererimus.

Exod. XXII, 24. claris verbis haec legis conditio exprimitur: *cum pecuniam mutuam dederis ciui meo, EGENO apud te. Nihil hic de foenore a ditoribus non exigendo praecepitur.*

Leuit. XXIV, 35. eadem conditio interdicti additur: *fratrem egenum factum esse, ac nutasse manum eius: vendito etiam patrimonio in alia tribu peregrinum esse factum.* Eandem conditionem praecedentium & sequentium nexus exigit. Postquam Moses praeposset de agro & patrimonio, urgente quidem pauperitate vendito, v. 25 - 34. oratio eius ad pecunias mutuas atque usuram defluit: quo loco etiam per purgato, de illis pracepta prescribit, quos saeva egestas coe-

mnium eadem est interpretum sententia: locoque supra citato ABENEZRA scribit, לְאַבְנֶזֶר FRATER TUVVS: i. e. Israelita.

coegerat libertatis iactura rei familiaris damna redimere: v. 39. (ii.)

Deuteronomii tamen capite XXIII. v. 20. 21. vbi legem de usuris repetit Moses, nihil inter pauperes ac diuites statuitur discriminis. Nec tamen magni est momenti haec omissio, cum legem bis iam promulgatam & uberior expositam nonnisi denuo inculcat Moses; ex tabulis Exodi & Leuitici, sedibus materiae, adcuratius intelligendam. Accedit, quod eam describeret reipublicae formam Moses, in qua vix alii quam pauperes pecunias mutuas petituri videbantur; vnde nec opus erat, singulis locis repetitiae legi addere, quod ea tantummodo ad pauperes referenda sit. Commerciis cum exteris exercendis non nimis fauebant leges Mosaicae, ne populus cum aliis gentibus, connubiis & superstitione coalesceret: eaque manente republica, quam Moses instituerat, non opinabile erat, fore, ut vigerent longinqua nauigationes & commercia, sumtusque, quibus haec vigere solent, vel lautae conditionis hominibus mutui sumendi essent. Caeterum erat uniuersitatis

(ii.) Idem iam de nexus orationis Mosaicae sensisse ABARBAR NELEM, lubens intelligo, qui ita: postquam praecepisset de paupere, qui detelesus erat bonis suis, ita ut possessiones suas agri & vineae venderet; iam de eo praecepit, cuius crescit paupertas, usque dum vendat domum suam: qui gradus est secundus paupertatis. Porro praecepit, si egestas eius tertium gradum fecerit, ut pignora dei pro pecunia aut cibo, in acceptione mutui. Tandem praecepit, si quarto gradu creverit, ut se ipse vendat, aut ob furtum vendatur.

cuius Israëlitae auitus apto cum Lare fundus, vnde se suosque sustineret: aut si deesset, armis quaerendus erat. Qua rerum conditione rarius accidebat, vt his, qui ad incitas redacti non essent, versura esset facienda. Quod si tamen pecunia aliorum opus haberent ditiones, non necessarium erat, vt debita contraherent. Mose praeceptore agri sui redditus usque in annum Iubilaeum vendebant his, quibus in numerato erat pecunia: in quo, nisi fallimur, emtori incertorum redditum, & quibus non una metuenda esset calamitas, concedebatur emtionis aliquod compendium. Haec si rite perpenderis, lex in Deuteronomio repetita, concisa modo, non contraria illis videbitur, quae ex Leuitico & Exodo effecimus. (12.)

§. XIII.

Poenam migratae legis ciuilem a Mose statui non legimus: videturque ea fuisse huius interdicti mansuetudo, vt sola restitutio foenoris crimen acceptarum usurarum piari posset. (13.) Nehemias faltem,

(12.) Congruit nostra sententia cum illo Thalmudicorum dicto: *ienuam non claudendam ei qui mutuum petat*, i. e. legem de usuris non ea accipiendam esse latitudine, vt quibus mutuo opus sit, (mercatoribus, & ditionibus, qui pendere possunt usuram) difficile fiat, creditores inuenire.

(13.) Iterum congruentes habemus Thalmudicos, hoc addito corollario: *eos modo heredes ad restitutionem usurarum a patre acceptarum obligari, quorum pater poenitentiam malefactorum*

tem, sub quo suis legibus vinebant Iudei, quamquam iudex, atque supremus Palestinae magistratus constitutus, nihil a foeneratoribus exigebat, nisi ut foenus iniuste captum rependerent.

§. XIV.

Iam huius legis explicanda erit ratio, ex ea pendens agrorum descriptione aequabili & aeterna, quam a Mose Leuit. XXV. expositam, strictim & breuiter edifferemus.

Suus cuilibet Israëlitae erat ager, unde se suosque pasceret. Qui ager tam proprius ipsi & perpetuus, vel ut rectius dicam, fideicommissum erat familiae, ut nemini liceret eum in perpetuum vendere. Soli redditus

XLII.

factorum moriens testatus fit. Heredes enim, qui usurparunt a patre captam restituant, non potius debitoris causa id facere, quam patris, cuius honori consultum velint. Vide SELDENVM p. 750. 751. In quo non male nobis, pro inde reip. Mosaicae, indicare videntur. Forte enim nihil ex usurpatione ad filios percuferat: unde nec exigi poterat, ut illas rependerent. Non enim autum fundum, (vt apud nos fieri solet) patri, sed primo debebant legislatori Mosi, qui patri ne quidem eius vendendi potestatem reliquerat. At vero debitores, qui foenus aut obtulerant, aut in illud consenserant, de quo quererentur non habebant, erepto sibi post mortem creditoris priuilegio, cuius violandi ipsi dederant occasionem. Adderemus, Thalmudicis iudicibus etiam licere, impuberum pecuniam foenori dare, nisi hoc demum licuisse post euerlam rempubl. eiecosque ex autis fundis Israëlitas suspicaremur.

C

XLII. annorum vendibiles erant: (tot enim messes erant inter duo iubilaeos annos) ipsius agri aeterna autoritas. Modo insonuisset tuba iubilaea, ad pristinos dominos gratis redibat. Hinc nec egenorum fundus egestatis iniuriis omnino in perpetuum perire, nec ditioribus emtionis iure latifundia parere poterant. Eaque erat huius legis severitas, ut ne regi quidquam in illam liceret. 1. Reg. XXI. (14.)

§. XV.

(14.) Et huius legis sapientiam strictum indicare licet: quae faciebat, vt neque summa paupertas & mendicitas familiis Israëlitarum metuenda esset, coēmto ab aliis ipsarum agro; nec vero potentiores familiae ambitione emtione agros agris continuare, possidere latifundia, tandemque rempublicam ipsam, in quantum eminebant, opprimere possent. Quantum detrimenti res Romanacepit ex defectu similis legis, plebe ex aucto fundo eiecta, & contra ditiores tumultuante, tribunisque tandem plebis, vel regno inhiantibus, plebem que oratione & lege agraria sollicitantibus, ex LIVIO atque duabus CICERONIS orationibus de lege agraria contra Rullum, liquet.

Egregia illa lex in republica formanda atque singenda, quam Moses de agris tulit: quamuis nostris ciuitatibus, aliter institutis, iamque adultis, omnino perniciofa. In his enim summam ciuibus factura effeti iniuriam, qui nullos agros possident, quos omni terra gleba in perpetuum prohibitura esset. Sed haec iniuria euanescebat apud Israëlitas, quorum ciuitatem ita Moses instruxerat, vt deessent, qui fundos nullos possiderent.

Hoc quoque addamus sapienter institutum, quod solos agros non aedes intra moenia sitas fidei familiae in perpetuum committeret.

§. XV.

Triplex hinc emergit aequitas legis usuram in rep. Israëlitica prohibentis.

1.) Ditiones Israelitae congeta quamvis magna pecunia agros tamen emere, ex quibus annuos perciperent redditus, non poterant. Inulta quasi & effoeta erat argenti possessio. Nihil ergo iacturae faciebant, si steriles in Palaestina nummos fratum vñibus etiam sine usura commodarent. Nostrarum alia sunt ingenia rerumpublicarum, in quibus quia argento agri emi possunt usuram quotannis quasi soluentes, iniuria fieret creditor, si pecuniae gratis elocandae constitueretur necessitas. Vide §. IV. (15.)

C 2

2. Non

mitteret Moses. Levit. XXV, 29. 30. Migraturis enim in aliis vrbes familiis, (quod omnino caueri non poterat) oneri futuree erant aedes, vrribus vero suis dedecori, si absente posseffore sartae teætæ non feruarentur. Cuius generis incommodum non raro in Britanniæ existere solet: cum area, aeterna auctoritate repetenda, in seculum venditur, in qua aedes exstruuntur non nisi seculum durature, quia area cum inaedificatis ad pristinum dominum seculo finito redit.

(15.) Non negamus impedimenta haec fuisse diuitiarum ab Israëlitis corradendarum. Moses enim cum ciuitatem liberam, non regnum formaret, cauere debebat, ne paucorum ciuium diuitiae & opes, cum reipublicae atque libertatis periculo crescerent. In quo plaudimus **S E N C E R O**, qui *diff. de usuræ lege probibita c. II. seft. III.* ita: *interdictio foenore curatum est, ne ditionum facultates in immensum excrescent. Dudum obseruauit BODINVS, imperiorum eueriones nullam causam certius adferre, quam nimiae paucorum opes.*

2.) Non opus erit Israëlitis, ne impuberibus quidem, usuris victimum tolerare. Suus quemque fundus pascebat: unde aequius a foeneratione manus abstinere poterat.

3.) Non facile in ciuitate, quam Moses instituerat, fortis metuenda erat iactura, usurarum aequitati graue momentum addens. Habebas debitoris agrum ex quo detrimenta sarcires: habebas corpus, vxorem, filios, quibus per VI. annos seruis vti posses, ad damna compensanda, si qua tibi debitoris creasset improbitas.

§. XVI.

Concidebat ergo maxima ex parte apud Israëlitas, quidquid pro usuris dici potest: nec alia foenoris supererat fere excusatio, nisi, non te obligatum esse, ad tua aliis commodanda, iure ergo tuo vti, si pro hoc beneficio aliquid commodi est usurae exigas. Durum vero & inhumanum summo iure vti, nihilque alii beneficii tribuere velle, quod sine tuo detimento fieri possit, nisi

(16.) Facit hic illud CICERONIS l. I. de Officiis C. XVI.

Omnia autem communia hominum videntur ea, quae sunt generis ciui, quod, ab Ennio postquam in una re, transferri ad permultas potest:

*Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat facit,
Nihilominus ipsi lucet, cum illi accenderit.*

Vna

nisi auro illud redemerit: (16.) magis idem iniquum, si in miseros & beneficii indigos iuris tui rigorem adhibeas. In lege ergo Mosaica ius vsurarum in pauperes exercendum, quibus sine damno & iactura commodari pecunia posse videbatur, coercente, nihil iniqui inesse videtur. Summo ciuium iuri eos fines praescribit, qui intra aequitatem & humanitatem consistant, quod idem aliae ciuilis leges non raro faciunt. Curam suscipit misellae plebis, quod non benignitatis solum sed & prudentiae ciuilis iure existimatur.

§. XVII.

Sufficere hae nobis caussae legis Mosaicae, vsuram quae prohibet, videntur: nec opus, ut agmine certemus rationum, vbi paucis res confieri potest. Non negamus quidem, fieri posse, ut & aliae eiusdem legis caussae accedant: ex quibus primaria foret, si consuetudines aut leges antiquissimae earum gentium, quibuscum cognatio aut vsus Israëlitis Molaico tempore intercesserat, focnoris horrore imbutae fuisse. Solet enim Moses, si quid in earum gentium legibus non mali inest, non illud repudiare. Sed de hoc nobis non constat. **MUHAMMEDES** quidem, qui saepe non sua nobis somnia, sed veterum Arabum confirmatas

Una enim ex re jatis percipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia: non prohiberi aqua profluente: pati ab igne ignem carpere, si quis velit: consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta.

confirmitas longis seculis consuetudines in Coronō scriptas reliquit, (17.) Sura II, v. 267 - 282. acerri-
me in usuras inuechitur. Sed, vt alia raseamus, quae
eripere nobis Muhammedem Mosi consentientem pos-
sent, Sura III. ita loquitur de foenore Muhammedes,
vt gratius modo & cruentum coercere videatur,
quod, vt ipse ait, *duplicacionibus duplicatis percipitur.*
B. SPENERO in *confilis theologicis* T. II. p. 335. ea
legis ratio esse videtur, vt *Deus maiora cum exteris
commercia prohiberet: nec enim facile mercatoribus sine
foenore credi.* Grauior caufa foret, si constaret, etiam
a mercatoribus foenus percipere non licuisse: sed vi-
de, quae supra scripsimus §. XII.

§. XVII.

Agmen rationum conscripsit, qui eandem, quam
nos, materiam sibi scribendam sumferat, Ioannes
SPENCERVS in *dissertatione de ratione legis usuram
prohibentis.* Si tamen de tanto nobis liceat Viro iu-
dicare, multitudine potius quam robore rationum le-
gem Mosaicam succinxit. Ne videamur actum egif-
fe, adscribemus XXIII. rationes Spencerianas, no-
stramque de plurimis sententiam adiiciemus. Strictim
& breuiter vitrumque. Adparebit, multa illum ad
rem non facientia coegisse, & illas tamen, quas su-
pra adferre conati sumus, neglexisse rationes. Graui-
ribus

(17.) Vide MILII *dissert. de Muhammedanismo ante Muham-
medem:* & grauem imprimis testem, Albertum SCHVLTENS,
in *Origin. Hebr.* T. II. p. 151.

ribus vero, & quae aliquem solum tueri possunt, calculum nostrum, lubentes adiiciemus.

I.) In fronte collocat, *tres rationes a deo* petitas :

1.) *Vt Dei se feudatarios esse ipso opere docerent.* Quae ratio nimium efficere videtur: nam & reliqui omnes populi feudatarii Dei, quibus tamen foenus exercere licet.

2.) *Vt spem & fiduciam in Deo, huins legis auctoritate, frequentius exercearent, ab eo praemia exspectantes.* Transfer eandem legem ad Christianos: non licebit illis usurpas accipere. Id quod iure nemo dixerit. Praeterea fidei exercitia non tam lege cuiuslibet praecipi, quam sponte suscipi solent.

3.) *Vt haec lex Iudeos Deo eximio, idola gentium excellentiae naturae suae superanti deuotos fecaretur.* Nec hoc telum ad metam ferri putauerint. Quaecunque gentes aliae faciebant, non hac una causa Iudeis fugienda erant, ipso toties totiesque teste SPENCERO, qui haud paucos ritus a Mose praeceptos gentibus acceptos refert.

II.) Sequuntur quatuor causae *a parte GENTIS ISRAELITICAE:*

1. *Quia Israëlitae, non ex colluaie gentium orti, sed uno patre, Iacobo, creati, fratres fuerint.* Haec vna ratio illis sepositis, quas supra scripsimus, parum efficeret, quia nimium efficit. Ex Noacho omnes homines progeniti, fratres sunt.

2.) *Quia Israëlitae populus Deo sacer fuerint.* Non adspendor hanc legis caussam, cum Israëlitis Deus non solum spiritualia sed & huius vitae bona promiserit. Ea tamen praestruenda sunt, quae supra de aequitate huius legis in rep. Israëlitica egimus. Si enim aliis consulens, iniqua fuisset aliis, rem publicam Dei sane non ornatet.

3.) *Quia Israelitae raro argenti aut agri diuites, plurimi vero egeni fuerint.* Non audeo huic adserito subscribere, cum sciam Mosen promisisse, Deum a populo suo pietatem colente mendicitatis mala auerruncaturum esse: Deuteron. XV, 4-6. XXVIII, 12. Leges etiam Mosaicae, si diuitias paucorum non nimis augent, ita tamen comparatae videntur, ut egestatem pellant. Sed de hoc uberiorius dicere iam non licet. Nec opus est dicere, si tota lex de usuris non capiendis solis pauperibus consulit.

4.) *Ne Iudeos egestas & foenus multiplicatum cogeret, relicta patria inter gentes viuere.* Bene quidem: videtur Moses, & ea, cuius ille minister erat, Dei prouidentia curasse, ne populus dilaberetur & dispergeretur iusto citius.

III) Quatuor rationes a parte REGIMINIS & politiae Hebraeorum:

1) *Quia foenoris absentia honori cedat rei publicae, eamque amabilem reddat.* Dubito. Vide quae scripsimus §. V.

2) *Ne nimiae fiant paucorum opes, ciuitati liberae periculum creaturae.* Huic rationi iure plando.

3.

3) *Vt pecunia in republ. Israelitica dispergeretur, non coaceruata inutilis & effoeta redderetur.* De huius rationis veritate non satis nobis liquet. Proscripta ex ciuitate vitura pauciores erunt, qui pecuniam nullo suo emolumento aliis comodent. Tolle pecunias mutuas ex republica: non nimis dispergetur pecunia, sed in cistis diuitium delitescat.

4) *Quia sancta fuerit respubl. Mosaica.* Si tamen vitrae sua sponte non malae sunt, dedecori ne quidem sanctae erunt ciuitati.

IV) Quator rationes a parte TERRAE, quam colebant Israelitae:

1) *Quia terra illa procul a mari diffita, nec mercaturae apta fuerit.* Agricolas vero & pastores foenore emungere iniquissimum esse. Nimis id audacter dictum, cum pars terrae Israeliticae ad mare omnino pertigerit. Accedit, quod ex voluntate Moysis tota Palaestinae maritima regio Israelitis occupanda fuisset.

2) *Palaestinam Israelitis a Deo gratis concessam esse: quae ergo gratis acceperint, gratis in Dei servos eroganda fuisse.* Dispiciat lector nobis acutior, an ea terra gratis data ad pecuniam omnino valeat consequentia. Hanc enim industria sua quaesuerant: & quamuis diuinae illam deberent benedictioni, idem in omnes mortales dici potest, quibus tamen foenerari licet.

2) *Palaestinam angustis spatiis coërceri: cauendum ergo fuisse, ne foenus incolas ab agro colendo renocaret.* Hos vero segnius agrum colere, ubi foenore alantur.

4) Cum Palaestina feras omnium rerum fuerit,
non opus fuisse versura nummos quaerere. Neces-
rias enim merces argento ab exteris comparandas
non fuisse.

V) Quatuor rationes, *a parte RELIGIONIS:*

- 1) Ne Iudei nummos nimium amarent.
- 2) Ut laudem misericordiae religio Iudaica confe-
queretur.

3) Ut obedientiam atque

4) Fiduciam in Deum, amoremque sociorum Israe-
litae exerceant, bac lege obseruata.

Non existimamus has rationes multorum pun-
cta laturas, eorum saltem, qui foenori nihil mali in-
esse, nec illud pietatem oppugnare crediderint.

VI) Quatuor rationes *a parte aliarum LEGVM:*

1) Leges Mosis reliquias eo collimare, ut aequali-
tas opum inter familias ciuesque seruaretur: nec aliis
ditescentibus ad incitas alii redigerentur. Cui & nos
rationi calculum adiicimus.

2) Vsuram cum anno Sabbatico, lege Mosaica
praecepto, pugnare. Si enim vsurae permisae fuissent,
non commissuros Israelitas, ut septimo quoquis anno
sortem & fructus perderent. Ego tamen mihi per-
suaserim, lubentius id commissuros, ut septimo
quoquis anno, quam ut omnibus, vsuris carerent.

Addit: si ex pecunia quotannis fructum percipere
licuisset, diutes praedia, septimo quoquis anno sterilia
reditibus, vendituros. Atqui vendere praedia in
perpetuum non licebat: nec si licuisset, vendituri
erant, quia praedia certae magis opes quam pecu-
nia. Vnde nec apud nos agri quamvis constituto
tempo

tempore otiantes vendi a ditioribus & volatili pecuniae postponi solent.

3) Reliquas Mosis leges curare, ne Israelita mendicitate vilesceret. Eundem ēḡ huius legis finem esse. Consentio.

4) Ut essent haec προγυμναστα ad status euangelici perfectionem, ēḡ amorem magis etiam insignem suscipiendum. Cum tamen haec lex ingens faciat discrimen inter gentes & Israelitas, ab euangelio tollendum; sub euangelioque liceat usuras accipere: timide illam ad praeparationes retulerim euangelio viam quasi sternentes.

Haec, quam fieri potuit breuissime, Spenceriana excerpenda duximus, ne actum ab illo labore inutili industria haec nostra repetere tractatio videretur.

§. XIX.

Illae vero rationes si firmiore talo nitantur, quas supra §. XIV-XVI. paucas quidem sed ex ipsa reip. Iudaicae forma & indole petitas attulimus: liquebit ad nostras ciuitates, alia prorsus ratione constitutas hanc legem transferendam non esse. Non defuerunt quidem, qui magno hoc labore perficere tentauerint. Iudeorum legibus cum placitis sententiisque Romanorum de foenore congruentibus (18.) factum est,

D 2

vt


(18.) SENECA de beneficiis l. VII. c. 10. *Quid foenus, calendarium, & usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaestia nomina? Possim de rerum natura queri, quod aurum argentumque non interius absconderit, quod non illis maius, quam quod detrahi possit, pondus iniecerit? Quid sunt istae tabulae? quid computationes? & sanguinolentae centefmac? voluntaria mala, ex constitutione nostra pendentia,*

vt & Patribus ecclesiae impiae viderentur usurae, & iuris canonici auctoritate damnarentur. Vide illustris BOEHMERI *ius eccles.* Tom. V. tit. XIX. 17 - 22. Quae Patrum irae concidissent, si rationem legis accuratius habuissent perspectam. (19.)

tia, in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu posse: inanis auaritiae somnia. Grauius etiam apud CICERONEM I. II. de Off. c. 25. *Cato, interrogatus, expedirene foenerari? Quid, hominem, inquit, occidere? homicidio foenus aequans.* Plura, quea hue faciunt, dabit HEINECCIVS in *Syntagma. ant. Rom. I. III. tit. XV.* Nec mirum, Romanis usurae iniufas fuiffe, cum naſcente ipſorum urbe minus mercaturae quam agriculturae studuerint, ſaeua etiam paupertas nec tamen ignobilis atque ingloria ſummos haud raro Romae viros opprefſerit, cui foenus grauifimum eft & intoletabile malum. Accedit, quod diuites acerbius foenerationem exercerint, quea crudelitas rem ipsam iniufam & odiosam reddidit. Mutato tandem reip. ingenio, & vigente mercatura, accedit ut Stoica philosophia gradum Romae faceret, interque Iureconsultos vigeret: quea cum aduersa eſſet foenaria, factum eſt, ut priſcum foenoris odium non omnino extingueretur.

(19.) Extra legem Mosaicum etiam usurpa in tabulis priſci foederis caſtigatur, ut Ezech. XVIII, 13. Pf. XV, 15. ea nempe usurpa, quam Moses damnauerat, ab Iſraelitis, non ab alienis petita. Nec tamen inde efficitur, lege eam morali prohiberi. Quidquid enim vel ceremonialis aut ciuilis lex in Iudeis damnabat, illud ſtante lege peccatum erat, ac iure a prophetis caſtigabatur. Caeterum de foenore christianis licito caute & ſolide pro more ſuo agit B. SPENERVS in *Conf. theolog.* Tom. II. p. 327. ſqq.






ULB Halle
006 789 96X

3



vDn8

B.I.G.



DISSERTATIO
DE
MENTE ET RATIONE
LEGIS MOSAICAE
VSVRAM PROHIBENTIS
1745, 9 H 14
QVAM
CONCEDENTE
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGSTA
M. IOANNES DAVID
MICHAELIS,
ORDINIS PHILOS. ADIVNCTVS DESIGN.
PRO LICENTIA DOCENDI
OBTINENDA
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
HORIS CONSVENTIS
DIE XXX. OCT. CIOCCCXLV.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIET.

GOTTINGAE
TYPIS IOANN. FRIDER. HAGERI.